



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 125. Scriptores hujus Sancti vitam describentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. cuncta decreta ad Dioecesium regimen
 A.C. 1584. necessaria complectuntur.

§. CXXV.

*Scriptores hujus sancti vitam de-
 scribentes.*

Hujus sancti Cardinalis vitam diversi conscribebant Auctores, atque inter ceteros Carolus Bascapius supremus Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, vulgo Barnabitarum Moderator, ac postea Novarrensis Episcopus, qui sancti Caroli Discipulus, Capellanus, & domesticus erat, in maximi momenti negotiis ab eodem adhibitus. Hic primis, dum cum hoc sancto versabatur, annis jamjam in unum colligere incæperat, quicquid vel ab aliis percepit, vel ipse ab hoc sancto fieri conspexit: postquam vero illius vitam describere aggrediebatur, ex ipsis etiam hujus sancti Præsulis Parentibus, atque amicis cuncta sedulo exquirebat, ut circa plura gesta veritatem exploraret. Porro illius Historia latine conscripta est, quo etiam idiomate prodiit ejusdem vita, quam Augustinus Valerius Cardinalis, Veronensis Episcopus, itidem sancti Caroli Discipulus, atque amicus concinnaverat: insuper Joannes Baptista Jussanus, qui aliquamdiu inter sancti Domesticos numerabatur,

tur, & postea Alumnus erat in Congregatione, quam Oblatorum sancti Ambrosii vocatam sanctus Carolus erexerat, pariter Italo sermone adductis etiam minimis circumstantiis illius vitam edidit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1584.

§. CXXVI.

Francisci Commendoni Cardinalis obitus.

Thuan. l. 80.
Ciac. p. 963.

Paucis post sancti Caroli obitum septimanis die vigesima quinta Decembris eodem hoc anno Franciscus Commendonus Cardinalis, Venetus, cujus frequens in hac Historia mentio fiebat, anno ætatis suæ sexagesimo rebus humanis valedixit. Hic idem illa die, qua obiit, cum summa pietate Missæ Sacrificio interfuit, cumque mensæ accumbere pararet, subito deliquio abreptus corruit, atque lecto suo impositus per reliquam diei partem, noctemque proximam violento morbi impetu agitatus animam exhallabat. Corpus ejus absque ulla pompa Patavii ad Ecclesiam Fratrum Capuccinorum, prout testamento caverat, delatum est, cujus merita Antonius Maria Gratianus Præsul Amerinus, qui omnium itinerum focius, atque secretorum Minister erat, celebrabat, libris quatuor de ejus vita in lucem editis.

§. CXXVII.